

π m
183



Q. K



Q. K. 378, 23.

11/2
II m
183

Q. D. B. V.

NOBILITATEM HUNGARORUM,

Dissertatione Academicâ

Sub PRÆSIDIO

VIRI

*Maximè Reverendi, Amplissimi & Excel-
lentissimi*

DN. MICHAELIS WENDELERI,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemq; P.P. Extraordi-
narii, ac Philosophiæ Moralis Ordinarii longè celeberrimi,
Præceptoris, Patroni & Promotoris multis
Nominibus honorandi:

ad diem Decembr. Horis antemerid.

in Auditorio magno

Φιλοσοφῶντων examini sistit

AUTOR & RESPONDENS

MICHAEL RITTHALERUS,

Modorensis Pannonius, Reipubl.

Patriæ Alumnus.

WITTEBERGE,

Litteris MICHAELIS Wendt/

Anno M DC LXIV.



Nobilissimo & Amplissimo
SENATUI,

Liberæ Regiæq; in inferiori Hungariâ Civitatis
MODOR &c.

Præsidio suo debitâ observantiâ
suspiciendo,

Benedictionem Divinam!

Non sine ratione factum putabitis, VIRI NOBILISSIMI, quod materia Vobis trita, & quæ in Curiâ potius, quàm Scholis tractanda videri posset, sit ventilata. Tritam namq; & perspectam Vobis (alioquin non ubiqve obviam) esse oportuit, ut Politici de re Politicâ iudicium ac censuram promptius ferretis, subtilitates è Scholasticorum lacunis interdum haustas, sicco forsitan pede præterituri. Et annon adhuc Nobiles viros deceat de Nobilitate suâ audire? Etsi autem qui iuridicundo operam impendunt, de materiâ præsentî convenientius differerent; id tamen nec à me usq; adeò alienum esse debuisse, quispiam censuerit, nisi vel ceteræ Philosophiæ cum Præcticâ nihil commercii intercedere fas esse, vel Theologiæ Studium eandem averfari, ineptè dixerit. Ita verò moris est, ut specimini è Theologicis tradendo, aliquod è Philosophiâ petitum præmittatur. Capiatis ergò, VIRI AMPLISSIMI, tenue hoc munusculum, si non firmum satis (in re quippe non pro dignitate tractatâ) temporis locati indicem, certum tamen grati animi interpretem; atq; sic imposturum, ut hætenus, faveatis

Alumno Vestro deditissimo

Michaeli Ritthalero.

FELICITER!

UT Juvenes in armis, Senatores in consiliis *Libr. I. Decr.*
operam locarent, (non omninò tamen *c. 7.*
Juvenes à consiliis arcerentur,) Stephanus I.
quem Apostolum suum Hungari venerantur,
sapienter ordinavit. Respexit procul dubio illud
Græcorum, Romæ non incognitum:

Ἔργα νέων, βελαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

populumq; suum ad fastigium Romanæ nobili-
tatis hoc instituto pertingere voluit. Neq; im-
meritò liberam & nobilem gentem salutari dif-
fitebitur, quisquis ejusdem indolem intimius ri-
matur & factorum heroicorum, quibus historiæ
refertæ sunt, non invidiosus censor adest. Etsi
enim à primâ nascentis imperii origine rebus
bellicis intenta, cæteris disciplinis minùs videtur
incubuisse, nihil tamen obstitit, quò minùs no-
bilitatem non tam literarum, quàm armorum
ope tueretur: quin ut alibi literæ halcyonia ha-
berent, laudabili armorum pertinaciâ, postea-
quam è tenebris gentilium plusquàm Cimme-
riis emerisset, curavit. Vix enim aliqua gens aut
natio (ut *Stephani de Verbeuvicz* verba mea

*in Pref. ad
Vladisl. Reg.
Hung. & Bo-
hem. ante
annos circi-
ter 150. scri-
ptâ.*

A 2

facere

ma-
nda
alio-
cium
s in-
No-
cun-
; id
, nisi
esse,
noris
itum
nscu-
tem-
q; sic

ero.

*Icon. Ani-
mor. c. 8.*

facere possim,) pro Reipublicæ Christianæ tu-
telâ & propagatione, acrius aut constantius ipsis
Hungaris excubuit, qui cum omni Mahometicæ
foeditatis barbarie, in variis ancipitibusq; præ-
liis diu ac multum cum ingenti suâ laude verlati,
(& ut vetustiora præteream) annos circiter cen-
tum super quadraginta, nunc oppugnantes,
nunc repugnantes, cruentissima bella gessere,
& sanguine suo reliquam Christianitatem (ne
hostilis rabies, velut fractis obicibus remotius
fese effunderet,) tutam incolumemq; reddide-
runt, eâ fortitudine roboreq; naturæ, ut ple-
rumq; in armis vitam degerent, & nullis quæ-
stuariis aut vulgaribus artibus dediti, solâ prope
militiâ nobilitatem definirent. Neq; tamen
armis modò, sed & callidis ac ingentibus con-
siliis valent, si sagaci morum & animorum
scrutatori, Barclajo, aliquid tribuendum est.
Verum cum prolixioribus in præloquio esse
non liceat, aggrediemur rem propius & fortu-
nante Numine de Nobilitate Hungarorum pro
ingenii modulo distinctius differemus.

§. I. Et

§. I.

ET in antecessum quidem, ne trita violaretur methodus, de vocis Nobilitatis natalibus pramonenda quædam forent; Sed cum parùm in rem nostram faciant, quæ hic de nominis origine, (quam in Noscibilitate quærun) moveri possent, non patiemur nos morari: neque etiam, cum Synonymum Grammaticum se vix ullum exhibeat (præterquam quod Generositas speciei cuidam nobilitatis æquipolleat) hic quædam in promulsidem apponemus. Præterea tam multis vox Nobilitatis significatibus hæud obnoxia est, quin quò eam sensu intellectam velimus, ex annexione vocis Hungarorum, pateat. Agimus nempe de Nobilitate, quæ suis Regni Privilegiis fulcitur, adeoque quicquid præterea Nobile nomen induit, insuper habemus. Quæ de cætero circa nomen Hungarorum evolvenda occurrerent, cum & proluxa sint, & fusè deducta alii foro adscribi possint, ea in Schödelii disquisitione Historico-Politicâ de Regno Hungariæ legi possunt.

§. II.

Missis his in rei jam natalium investigatione occuparemur, si labori successus responderet: facilius autem antiquitas, quam origo Nobilitatis non Hungarorum modò, sed & aliarum gentium demonstrari potest. Quis enim primus Nobilium extiterit, non invenias: antiquitùs fuisse, tam notum est, quam quod notissimum. Meminerunt Nobilitatis Scriptores hinc inde antiquissimi. Hungari verò, si non ante divi Stephani tempora, certè tamen ipso regnante, Nobilitatem asseruerunt, & in eadem prope formâ intermeratam hucusq; habuerunt. Pannoniam scilicet ex Scythiâ ingressi unà cum uxoribus filiis & filiabus,

*Tripar. Jur.
Hung. part.
I. tit. 3.*

ac cunctâ eorum familiâ, plures peragrarunt & pervagati sunt regiones, capitaneis ordinatis, & uno prætereà Rectore, ad lites dissidentium sopiendas, furesq; & latrones ac malefactores castigandos, unanimiter electo atq; constituto, communi omnium sententiâ decretoq; edictum fuit, ut cum aliquæ res communitatem æquâ sorte tangentes occurrerent, aut generalis expeditio exercitûs incumberet, mucro vel ensis sanguinis aspergine tinctus, media Hunnorum per habitacula castraq; deferretur, & vox præconia subsequeretur dicens: *Vox DEI & præceptum communitatis univ-
erse est, ut unusquisq; in tali loco (eundem designando
locum) armatus, vel qualiter potest compareat, communitatis
consilium simul & præceptum auditurus.* Hæc consuetudo inter Hungaros usq; ad tempora Geysæ Ducis, patris gloriosi Principis, Stephani primi, Regis Hungarorum, inviolabiliter extitit observata, quæ multos Hunnorum perpetuam redegit in rusticitatem. Nam sancitum erat, ut transgressores ejusmodi mandati, nisi rationabilem assignarent excusationem, cultro media per viscera scinderentur, aut communem & perpetuam in servitutem redigerentur. Hæc sanctio plurimos Hungarorum (ut dictum) plebejæ perhibetur effecisse conditionis: nam cum unâ & eadem de generatione à quodam scilicet Hunnor & Magor processerint, hic Dominus, ille servus, hic nobilis ille ignobilis & rusticus aliâ ratione evadere nequivisset.

§. III.

Variavit verò olim, & etiamnum variat, ut aliorum, sic & Hungarorum nobilitas, (cum non tam ex jure naturali quàm civili proveniat:) eam enim vel sanguini debent nobili, vel non. Neutra ab instituto nostro aliena est. Nasci verò nobiles nec olim erat
absur-

absurdum. Nimirum si quis ingenio & prudentiâ pacaverat incitatae multitudinis violentiam, si quis exteris gentibus svasisset aut societatem si integræ, aut servitutem, si nonnihil attritis rebus affligebantur, illi statim meritæ Nobilitatis insignia publici consensus deferebant. Illum disciplina militaris, illum machinarum peritia, virtus omnes provehebat. Inde etiam filiis nobilium honos habitus, primùm à paternis clientibus, deinde ab omnibus qui inesse in iis semina paternæ claritatis arbitrabantur. Quamvis verò etiam generosissimarum imaginum foetus in aliquod devoluti dedecus, sæpè acceptam à majoribus lucem in tenebras convertant; nihil tamen hi degeneres illis præjudicant, quibus, cum majorum imagines intuentur, animus vehementissimè ad virtutes accenditur, quibus memoriâ rerum gestarum flamma in pectore crescit, neq; prius sedatur, quàm virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit. Scilicet aquila aquilam generat, leo leonem. Suppetunt (præter animi dotes ingenitas) nobilibus plerumq; facultates & rerum agenda- rum nervi, qui multum Nobilitati conferunt, cum è contra ignobilium non rarò

Val. Max.

l. 3. c. 4.

Sallust. in

Jugurth.

virtutibus obstet

Res angusta domi

Verè nobilis quidam Satyricorum exclamat: Date mihi splendidum familiæ gregem, vestium artificium cum materiâ certet, prætereà seu generis, dignitatis, decoræ species fronti majestatem inducat, jam imbecillitatis vitium, cujus infamiâ humiliorem conditionem aspergunt, intelligetis posse cum sordidâ veste excuti.

Barclaj. in

Sat. part. 1.

§. IV.

Et hæc Nobilitas, quæ generis dicitur, per solos Patres, non autem matres ad posteros derivatur, ac proinde

Jus Consv. proinde ex nobili & plebejâ genitus ordinis est Nobi-
part. l. tit. 7. lium, & ex plebejo ac nobili, plebejorum, cum ipsa
Boxhorn. quoque mater conditionem patris secuta sit, & nupta
Diff. Politic. ignobili Nobilitatis jura perdiderit. Mater itaq; acci-
12. §. 2. pere à majoribus Nobilitatis decus, sed sola transferre
ad liberos non potest. Quod ut ratio evincit, ita non
evertunt quæ de materni generis claritudine, de ejus
imaginibus cum paternis conjunctis passim leguntur.

§. V.

Porro non nasci tantum, sed fieri quoq; Nobiles
non exilis horum in Hungariâ numerus comprobat,
quem regnum istud liberum honori non despiciatui
sibi jure merito ducit, & flocci facit, qui facilitatem
suam in conferendâ Nobilitate flocci faciunt. Debetur
sanè virtuti suus honos; spaciosus verò hanc exercere
volenti campus aperitur. Compescenda est rabies
Ottomannica, quæ in unam servitutem omnis claritu-
dinis sanguinisq; familias premit. Non asveta est
gens libera servituti, adeoq; pro libertate vendicandâ
nobili animo excubat, & quantumvis interdum vincat-
tur, animos tamen sibi majores sumit, vindictâ anima-
ta, cujus potens & efficax nomen, quod quisquis amat,
& vitam simul spernit, & bona fortunæ. Adeoq; No-
bilitas haud quaquam contemptim numariæ (quamvis
nummi eam adjuvent) nomine venire debet, quam ex
munificentia regiâ reportant.

§. VI.

Reportari verò non donatione solum ista simplici,
quò spectant quæ jam diximus, sed & adoptione potest:
quam Nobilitatis speciem non priori, nempe quæ per
generationem est, sed posteriori huic, quæ per dona-
tionem, convenienter adscribimus. Hinc illi, qui No-
bilitatem per adoptionem impugnant, non tam nobis
quam

quàm illis, qui eam sanguini accensent, litem intentant. *Trip. part. I. tit. 8.*
Creantur enim nobiles dum per nobilem in heredem bonorum & filium suum adoptantur, consensu regio accedente.

§. VII.

Confert, uti jam innuimus, Nobilitatem *Regia Hungariae Majestas*: eam facultatem & plenariam potestatem primò in S. Stephanum, postquam eundem sponte Regem elegisset & coronasset, cum Imperio communitas transtulit. Hinc à Rege omnis Nobilitatis origo: adeoq; autoritas hæc ejusmodi sortita est *Jus Consv. part. I. tit. 3.*
connexionem, ut Princeps non nisi per Nobiles eligatur, neq; nobilis nisi per nobilem creetur.

§. VIII.

Autoritate Regis itaque in *virtuosos & benè meritos* hæc dignitas derivatur. Conjungit virtutum quasdam semper cum gloriâ nominandus Rex Hungarorum *Decret. Lib. I. c. 4.*
Christianus primus, cum decorem regiminis esse dicit fidelitatem, fortitudinem, agilitatem, comitatem, confidentiam Principum, Baronum, Comitum, militum, Nobilium: illos esse Regni propugnatores, defensores imbecillium, expugnatores adversariorum, auctores Monarchiarum: illos filio (Emerico duci ad quem hæc scribit) Patres & fratres habendos, ex his verò neminem in servitutem redigendum vel servum nominandum, militandum his, non serviendum esse. Atque has, quas filio virtutes Stephanus laudavit, in Hungaros Nobiles competere, exteris testetur *Loco supr. cit.*
Euphormio, qui nobilibus mentem erectiorem melioremq; frontem & animum ad magnificentiam factum, membra incessusq; ad Majestatem compositos, inter alia non minùs verè quàm eleganter dicit.

B

§. IX. Quam-

§. IX.

Part. I. tit.
4.

Quamvis igitur alias virtutes hic neutiquam exclusas sed inclusas velimus, Nobilitatem tamen suam Hungaros potissimum usu disciplinæque militari acquirere, vix est qui neget. Nam ubi Princeps noster (ita jus nostrum consuetudinarium loquitur) quempiam hominum, cujuscunque conditionis existat, ob præclara facinora ac servitia, castro vel oppido sive villâ aut alio jure possessionario donaverit, mox ille per hujusmodi donationem principis (statuto legitimo subsequente) verus nobilis creatur, & ab omni rusticitatis jugo eripitur. Et quidni fortitudinis præmium nobilitas habeatur? Invehitur in illos qui Stemmata, pictos majorum vultus, & veteres in atriis ceras tantifaciunt, gravissimus quidam morum censor: fortitudinem verò nobilitate tantum abest ut neget, ut potius id evidenter asseveret, cum scribit:

Juvenal.
Sat. 8.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas,
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles.

Ferd. Decr.
Tirnav. Ar.
tic. 5. a. 1545.

Cui præmittere potuissemus Tyrtæi Elegiarum Scriptoris (teste Suidâ) vetustissimi elegantem reiq; nostræ convenientem odam, eam nisi prolixitas adnotasse vetuisset. Offerunt se hic acceptius armorum picturæ & Sculpturæ, quibus insignia nobilium superbiunt, quæq; virtutem bellicam armis inclarescentem cum primis vel solere vel debere Nobilitatem stabilire, satis pro me loquuntur. Inde etiam est (quod primarium ultimò occurrit) quod Nobiles tempore generalis expeditionis, penes regem in bellum vadere teneantur, sub poenâ notæ infidelitatis. Non possum ergò
quin

quin atro carbone notem, qui fortitudini Hungaricæ
gentis tenebras offundere nituntur, & ignominiam,
ob bellum successu quandoq; carens, Nobilitati affri-
care non dubitant, cum tamen difficulter talis nobili-
tas dari possit, quæ humani quid non patiatur. Quin
& Coss. cum Pompejo, Senatum omnem atque univer-
sam Nobilitatem Romanorum ex urbe fugisse & in
Græciam transivisse, Eutropius testis est. Exsecran-
dus autem est Machiavellus, qui Christianam Religio-
nem scribit illam magnitudinem animi, quæ in anti-
quis elucebat, funditus sustulisse: tantam enim
vim habuisse putat hostiarum cædem profanam, at-
que pecudum stragem, ut repente ex timidis feros &
audaces efficeret. Nos itaq; qui nec hostias cædimus,
nec quadrupedum sanguine aras cruentamus, nec exta
inspicimus, magnis ad virtutem instrumentis hoc Reli-
gionis incommodo privari. Quam sententiam ad-
ducit & refellit Hieronymus Osorius, Episcopus Al-
garbiensis Lusitanus, qui est consuli potest in Machia-
velli Principe cum animadversionibus Politicis Con-
ringii edito.

*Histor. Ro-
man. Brev.
libr. 6.*

*L. 3. de No-
bilitate.*

§. X.

De cætero dissimulandum non est, non illis modo,
qui in militiâ aliquid cedro dignum præstiterunt, sed
etiam qui aliis se cõmendarunt meritis, aditum ad ca-
pessendam indultu Regio Nobilitatem patere, hausto
more (me iudice) à Romanis, apud quos Nobilitate
non præditi difficulter ad Magistratus admittebantur,
illique, quos Tarquinius Priscus cæteris Senatoribus in
populi favorem adjecit, etsi plebeji erant, Patriciis
tamen decreto Regio æqvati sunt, quin & imagines
ex Magistratu erant. Ita & nonnulli (non enim omnes)

*Horat. lib. 1.
Sat. 6.
Kipping. lib.
2. Antiquit.
Rom. c. 3.*

ex-
uam
qui-
(ita
iam
præ-
villâ
per
imo
usti-
ium
ata,
anti
titu-
tius
s.
s.
Scri-
stræ
asse
uræ
ant,
um-
re,
ma-
era-
can-
rgò
vin

ex Magistratibus liberarum Regiarumque Civitatum,
non ultimam sedem inter Nobiles tenent & tenere
possunt.

§. XI.

At hæc Nobilitas non est illa, quam eximiè doctis
ob doctrinam & Sapientiam tribuunt; neque enim
personalis sed hæreditaria est. Prudentia Politica
nobilitat quidem, sed Privilegia sola conferre nequit.
Circa quod rectè incidit falsa eorum Sententia, qui
censent ingenia ad capiendas literarum subtilitates
inepta, oppidò regendis populis non nata esse: quasi
verò non potius arcano impetu, & omnium Lingua-
rum sermonumque conscio, alumnis suis sapientia
loqueretur. Quod si igitur obtineam ampla ingenia,
quæ sine amplo literarum cultu minimè ad utilis pru-
dentia lumen caligent, Hungariam alere, neminem,
quod & illa meritò Nobilitate donentur, difficilem aut
iniqum invenero.

§. XII.

In eo tamen non omnem adhuc litem esse pero-
ratam autumo: quod nonnulli absque intuitu exi-
mii cujusdam meriti aut præclaræ virtutis, pecuniâ
promotrice, Nobilitatem & aucupentur & assequan-
tur. Esto autem nihil adhuc tantâ dignitate dignum
quis præstiterit: modò præstiturus sit: ut autem
præstet, obligatur, (siquidem Nobilitas non infini-
tam licentiam pedissequam habet, de quo postea)
& quod præstiturus sit, non alia spes est, quàm de
Nobilium liberis, quos è Nobilium numero non
extruseris, etiam antequam adhuc paterna vestigia
prefferint.

§. XIII. Sed

§. XIII. Sed quandoquidem vel latae segetes terrae foecundissimae alios è diversis regionibus alleverunt; vel incursiones barbarum gentium ad ferendas afflictæ regioni suppetias invitarant; vel nexus cum Imperio & potissimum Austriacâ domo, nonnullos ad amplectendam gentis suæ Nobilitatem adduxit: invida, ingrata vel tenax esse noluit, sed voluntati Regiæ suam junxit consensum, avidosque inter Nobiles eodem cum suis jure gaudentes suscepit & recipit: adeoque Magnates etiam & Nobiles Germanorum suo Nobilitatis jure donat.

§. XIV.

Omnes hi Nobiles *Eminentia* præ civibus & rusticis gaudent: Segregantur enim donatâ vel conatâ sibi Nobilitate à plebejis. Hinc toties (à dignioribus nempe) in constitutionibus regni, egregii nuncupantur, quod scilicet extra gregem cæterorum, sequioris conditionis sint positi. Ad hanc eminentiam comprobendam literæ ipsis suppetunt, quibus, si ambigeretur, se nobiles testari possint, & illorum plebejæ sortis hominum ausus satis temerarius infringatur, qui in nobilium se cœtus inserunt. Ita & in judicio literas præstò esse, tenore legum, necesse est, non item arma seu insignia nobilitaria; arma enim à Principe cuiquam concessa, non sunt de necessitate, sed solummodò benè esse Nobilitatis: Præterea armorum collatio simpliciter facta non nobilitat quemquam, cum etiam civium & plebejorum hominum multi habeant armorum insignia per principem donata, per hæc tamen in numerum nobilium non computentur. Ad sint ergò, sufficit, literæ donationales

Trip. par. I. tit. 6.

vel statutoria cum declaratione possessionaria collationis edita, (scilicet si possessionarii Nobiles sint; creantur enim & absque possessionaria donatione; & inde est, quod rari sint, qui ad modum aliorum, omisso cognomine, denominationem à ditionibus fortiuntur.)

§. XV.

*Jus Consuet.
part I. tit. 9.*

*Artic. 10. &
30. ad annū
1222.*

*Trip. part.
I. art. 9.*

Eminentia verò, cujus mentionem fecimus, non omnium est eadem: idque partim ob aliorum præ aliis illustriorem Nobilitatem, partim excellentiorem, quem gerunt, magistratum: gradus enim hic & ista recipit. Nobiles igitur præcipui sunt Prælati, Barones, cæteri que Magnates. Baronum verò nomine & Comites venire, consuetudinibus nostris non inusitatum est. Nam Jobagio (vox illa latinis auribus barbara) iteratò in decretis Andreae II. Regis Hierosolymitani dicti, in margine per Baronem redditur: Jobagiones verò in ejusdem decretis Palatinus, Banus, Comites nuncupantur. Atque hi, quos Prælatorum, Baronum, & Magnatum numero complecti licet, præcipui sunt, quos excipit reliquorum nobilium multitudo.

§. XVI.

Etsi verò dignitas Nobilium variet, universi tamen unâ ejusdemque libertatis prærogativâ semper nutriuntur. De Privilegiis ergò jam agendum esset, quorum tamen planam enarrationem difficultas prohibet. Hæc autem, nec postrema, quàm brevissimè possum, adducam. Detineri à nemine possunt, nisi in causis criminalibus: homicidio deliberato, adulterio violenti, latrocinio &c. deprehensi in loco delicti, vel citati & condemnati ordine judiciario. Nul-
lius

lius præterquam Principis legitimè coronati potestati
subiungunt, & princeps ipse neminem sinistrè delatum,
alterâ parte non auditâ, in personâ vel rebus impedire
potest. Proventibus territoriorum suorum liberè frui
possunt, atque à vectigalium & id genus aliorum solu-
tione, exempti sunt. Ipsi Regi vel Principi contra-
venienti libertatibus Nobilium in generali decreto
Andræ II. Regis, declaratis (in cuius observationem
quisque Regum, antequam caput ejus diadema cingit,
Sacramento se obligat,) resistendi & contradicendi
facultatem habent.

§. XVII.

Quas libertates nemo non videt restrictas esse,
& enormem licentiam, quâ Nobilitate se exuere pos-
sunt, haud admittere. Mitior tamen eorum pœna
est, si quid patrent, quam plebeji idem patrantis. Ita
Nobiles de bello se clanculum subducentes posses-
siones, ignobiles caput amittunt. Si quis ignobilium
sedem judiciariam armatus ingrediatur, eum, armis
ipsi ablatis, duobus diebus & totidem noctibus abs-
que esu & potu in cippo positum, detinendum: No-
bilem verò in eundem lapidem impingentem, armis
ablatis solummodò pecuniâ certâ multandum esse,
Matthias Rex decrevit.

*Ladisl. post-
hum. Decr.
ad An. 1454.
art. 13.*

*Decret. VI.
Ann. 1486.
Art. 65.*

§. XVIII.

Ex omnibus his (nisi me opinio fallit) satis quid
Hungarorum Nobilitas sit, demùm patebit: ut autem
quæ fusiùs dicta sunt, in exiguâ tabellâ sifterentur,
quemque suo passus abundare sensu, non initio, sed
sub finem, (architectum imitatus, qui non priusquam
materia suppetat, ædificium componit,) ex jam dictis
descriptionem Nobilitatis & genere, & donatione &
adoptio-

adoptione partæ, non qualem volui, sed qualem potui,
proponere constitui. Ea sic se habet: *Nobilitas
Hungarorum est beneficio regis eorum, vel in
Patres, avos, majores, vel ipsosmet* (seu nati
sint Hungari seu inter ipsos recepti) *ob Patriæ vel
Reipublicæ præstas aut certò præstandas vir-
tutes, collata eminentia, quâ certis Privi-
legiis suo jure contentis gaudent, à plebejis
segregati.*

Δ. T. Θ.

Tu Regio Austriacis illic contermina campis
Quâ frangit tumidus ripas & proruit Ister,
Cyaneas visurus aqvas, dum fata sinebant
Fertilis ac omni proventu prospera quondam,
Assere divino & solito correpta furore
Priscam virtutem, splendorem, nomina, famam!
Non lunâ pejore cadas, cum turbida pandit
Cornua, nec cedas, cum turbinis impetus afflat,
Nobilitate tuâ, mage quin sub pondere surgas!



Ad Prestantissimum

DN. RESPONDENTEM,

Hungarum, Amicum

meum.

RITTHALERUS adit penetralia summa Ca-
thedrae,

Deq; suo populo non malè verba facit.

Hungarus est quavis miles fortissimus horâ,

Et contra Turcas pugnat ubiq; malos.

Hinc capit insignem viridi de fronde coronam,

Notus & incedit Nobilitate suâ.

Inde boni tantam tollunt ad sidera gentem,

Proq; suâ Hungariâ thura precesq; ferunt.

Tu quoq; commendas cives, & jure triumphas,

Hostibus ejectis paceq; ritè data.

Civibus hæc sunt grata tuis nostrisq; Magistris;

Propterea capies præmia justa brevi.

Michael Wendelerus, D.

& Prof. P.

Hungaricus Populus multis celebratur ab annis,

Marte potens equidem, nec minus *Arte* valet.

Nobilis hinc surgit virtus, hinc nobile nomen,

Quod terror Turcis sit maneatq; precor.

Quæ sit *Nobilitas Patriæ*, Tu differis ore,

RITTHALERE, pio; pergito, gratus eris.

*Eruditissimo Dn. Respondenti
gratulabatur*

Ægidius Strauch, S. S. Theol.

D. & Prof. P.

Quid sit *Nobilitas*, & quo censenda decoro,
RITTHALERE, tuum *nobile* sistit opus.
Nobile gestabis tam claris artibus olim,
Nomen, & in Patriæ commoda doctus eris.

*Politissimo Juveni, de egregio Specimine
gratulaturus ominabatur*

Otho Prætorius, Professor
Publicus.

Jura soli, geniumq; plagæ, nescire paternæ
Dedecus immensum; pandere grande decus.
Majorum, tactusq; loci natalis amore,
Hoc cum tu præstes, *Nobile* pandis opus.
Prodisq; ingenium: manet hinc præclara laborem,
Gloria, sic porro perge, politus eris.

Gratulabundus apposuit

Johannes Brewer, Leutschov.
Hungarus, Med.
Lic.

Pannoniæ priscum longumq; ab origine gentis
Qvem memoras, veræ est *Nobilitatis* honor.
Sola fuit virtus, patuit quæ Janua honori,
Quæ tumidi fregit corda cruenta Thracis.
Nobilitas animi quædam est hæc pandere; certus,
Opto, *Nobilium* Te comitetur amor.

In honorem Eximii

*Dn. Respondentis, Amici & domestici
dilectissimi posuit*

M. Andreas Müller, Pomeranus,
Eccles. Witteb. Diaconus.

Nobilis

Nobilis & Sapiens unà benè sede morantur,
Virtusq; parta sanguine.
Multos nobilitat fusus de corpore sanguis
Et sava Martis spicula;
Plures nobilitat docilis solertia mentis
Quæ celsa scandit sidera.
Nobilis ingenio es RITTHALER; Nobile Nomen,
Portabis olim Pannonum.
Perge modò solers, Tibi quondam mentis acumen,
Dies creabit aureos!

*Quod affectu magno & pio vover
Doctissimo Dno Respondenti, Amico & Conterraneo
suo dilectissimo*

Georgius Dudari, Sarvariens.
Hung. SS. Theol. Stud.

Nobilitas quæ sit, non est ignobilis ausus
Dicere, & antiqui temporis atq; novi.
Nobilibus cœptis applaudo, nobilis hujus
Dum quis honor populi sit, cecinisse placet.

*Breviuscula hæc,
Doctissimo Autori & Resp. Conterraneo & Amico
charissimo, gratulabundâ mente
apposuit,*

Nicolaus Sáföy, Sempronio
Hungarus.

Quam fraudes peperere perfido ausu,
Non est nobilitas, at hæc meretur,
Quam gentis celebras Tuæ fidelis
Præco, augustius ampliusq; nomen.

Samuel VVencelius, Sempron.
Hungarus.

C 2

Assidue

Nobilis

alt
Tm
1813

Asfiduè in Patria versavit miles ut arma
Hactenus, atq; suum devicit gnaviter hostem;
Tu quoq; RITTHALER certas in Palladis arte.
Egregium Specimen documento est. Perge (quod
opto)

Sic vinces felix. *Numen conatibus adsit!*

*Gratulabundus haec pauca apposuit,
Doctiss. Dn. Autori & Resp. hujus Disputationis,
Conterraneo simulq; Amico suo
suavisimo,*

**Elias Augustini, Dubnic.
Hungarus.**



**Nicolaus Sároly, Szempionio
Hungarus.**

**Samuel Venetius, Szempionio.
Hungarus.
Asidus**

M
L;
M
(qvod
P
M
ionis
I
ubnic.
M
N
Q
Q
P


Pon II m 183, QK

ULB Halle 3
001 855 468


Von







R.k

